

clarum, quamvis putem me audivisse a magistro Bernhardo de Tzuden, dominum Hinricum episcopum, de cuius obligationibus et alienacionibus quantum ad aliqua de premissis agitur, non prestitisse tale iuramentum; de necessitatibus et utilitatibus eciam ecclesie predictorum et aliorum contractuum, de quibus in registro illius temporis, non michi satis constat et scio, quod episcopus in predictis alienacionibus obligationibus et aliis tractatum capituli requirentibus non habuit in capitulo cum capitulo tractatum, sed eo in castro suo Sturwold<sup>1)</sup> moram trahente seu alibi suam intentionem per appensionem sigillorum ad literas sigillandas cum aliquo suo familiari ad hoc nuncio declaravit.

De manumissionibus litonum prepositure, quibus consensi, non recolo me lucrum pecuniarum habuisse, eo solo excepto, quod una seu duabus aut tribus vicibus domini nostri de manumissione quandam summam pecunie habitam diviserunt et ego partem meam habui ut alius canonicus, sed non credo tempore meo, quo fui prepositus, me de talibus habuisse quinque marcas.

Concludendo attenter non solum actis ante tempora obligationis et contracti matrimonii predictorum videlicet ante annum millesimum CCCLX sed eciam consideratis omnibus de consensu capituli et per capitulum tempore, quo fui prepositus, alienatis et obligatis videlicet incipiendo ab anno domini millesimo CCCLXI et proseguendo usque ad annum millesimum CCCLXXXII ad mensem Augusti diem quartam decimam in omnibus fere tam alienacionibus obligationibus castrorum quam bonorum omnium et iurium sive ad episcopum sive ad prepositum sive ad capitulum aut alias ecclesias seu loca pia pertinentium, de quibus continetur in registro literarum capituli, me timeo et satis credo interfuisse et consensisse ut prepositum incipiendo ab anno quinquagesimo sexto suprascripto a capite ieiunii et continuando usque ad annum

<sup>1)</sup> Steuerwald.